Fol. 22. 35
Nr. 37
[= Mscr. a. 11: Nr. 176]

aliquid in litteris consequi, sed id longum esset. Jacobus (D. Oliverius si vobis
placet) in suo lecto iuncti hanc aestatem mecum commorabitur, dum exspecto quid de
me meisque rebus sit futurum. De dicto Martini nihil mihi hactenus redditum est,
mone quaeso eius tutores, ut pueri rationem habeant, et mihi (quod aequissimum est) so-
lidam ~~pecuniam~~ summam debiti reddant. Oliverii nomine scripsit Nicolaus
Gardinius, ut 12 thaleros a Mercatore Bremensi reciperem, id ego faciam prima
occasione. Dum haec ad vos meditor intervenit Tabellarius publicus civitatis
Duysburgensis, is ad me attulit epistolam a Gerardo Mercatore nomine Ma-
gistratus scriptam. Reparari illic religionem et scholam, ne meam operam patriae
nostrae negare velim, nisi mihi tam afflicta valetudo esset, nihil est patria dulcius.
Scribe quaeso tuum mihi de hac re iudicium, nam donec aestivi menses praetereant,
tum propter pueros qui sunt mecum, tum propter collapsas corporis vires, non queo
sedem mutare. Mi frater vides fluctuantem animum meum, in infirmo corpore
consilii simul et consolationis egere. Quod nisi me invocatio Christi Mediatoris
tanquam sacra quadam ancora retinuisset, millies hoc triennio dissectus obrutusque fuis-
sem. Benedictus DEus qui non tradidit animas bestiis confitentium sibi. Valde
me iuvit, quod scripsisti, Ecclesiae vestrae Pastorem mei amantem esse, eundem ego
vicissim, et noscere in Domino, desidere et amare. Iucundissimam simul et ho-
nestissimam uxorem tuam cum familia Nicolai Gardinii precor et meis et
puerorum vestrorum verbis benigne salutes. Vale. Scribunt his feriis pueri, nunc in
nullis otio a lectionibus erat. Bremae. Pridie Cal. Maii 1559.
Vestri studiosus frater
Johannes Molanus

Hieronymo Commelin Emdae
Pax DEI per Jesum Christum

Antonii vestri valetudo tam est integra, (ut vides) venerande frater, quam fuit
antehac unquam. Aegrotavit is quidem (ut scripseram) sed DEI beneficio pristinae
sanitati restitutus est. In oculis eius non est fortasse tantum periculi quantum
timere possit sollicitus Paedagogus, tamen quia de oculis ipse conqueri solet, et qua
scribendi discendique assiduitate magis debilitari possent, vobis eam rem indicare
debui, ad quos imprimis pertinet. Nam ego sane perquam invitus puerum hunc
verecundum a me dimitto, tum quia est praeter ceteros modestus, tum quia i[n] eo (sicut
in Jacobo) habebam occasionem confirmandae tuae erga me dilectionis. Vera-
men quid mihi esset ostendum minus spectare debui, quam quid vobis de filio
faciendum videretur. Quamobrem (ut nuper mandasti) eum ante biennium in
fidem meam receptum (verecunde), remitto, curatum qua potui diligentia, et pro ipsius captu
(ni fallor) edoctum. Vereor ut fuerint in meis posterioribus (aliis) literis aliquid quod tuum
animum offenderent. Fortasse non probatur animo tuo, quod cogitem in Germaniam
immigrare, nec mihi sane id ipsum valde probatur, si quod aliud consilium commo-
dius et pari prudens homo invenire potuissem. Cum essem vocatus, relicto do-
mi puerorum custode, Duysburgum me contuli. Illic cum me multum diuque rogassent
qui praesunt scholis constituendis, ne vocationi deessem, meam illis operam addixi
ad proximam hyemem S. Michael. Sed postquam domum reversus sum, ex ipsa re cogno-
vi non esse mihi possibile, ut pueros domesticos (quibus primam fidem debeo) tam
cito amittam, nisi velim proterve facere, et apud honestos eorum parentes infamiam
aut certe malam gratiam inire. Hac ergo necessitate coactus, his proximis diebus
rescripsi illis: ut aut mihi plus temporis ad tempestiva migratione concedant, aut me
missum faciant. Alterutrum nisi fiat non solum offendam hic multos bonos, sed
graviter etiam faciam meorum rerum iacturam. Respondent illi non plus se tem-
poris

dare posse, et veniam ad diem secundū pacta. Vides quo loco res sit mihi. De
tua in me benevolentia non dubito. nuper me magna consolatione levasti. nunc
si quid me consilio iuvare potes paucis quaeso rescribe. Vale cū tua coniuge fra-
ter dilecte. Saluta fratres in Domino. Bremae 21 Junij. 1.5.4.9.

Wichboldo Lubecae

Pax DEI per Christū.

Nr. 38 Ante biennium (ni fallor) scripsi ad te suavissime Wichbolde, cū intellexis-
sem te magno Witebergae desiderio teneri. Non cuiuis homini contin-
gere adire ~~Corinthum~~ Philippum. nunc quū hoc tantū boni beneficio DEI
sis consequutus, multum tua et nonnihil etiam mea causa gaudeo. Tua qui-
dem, quia tuis studijs, nihil evenire possit accommodatius, quam quod isthic vivis
[= Ascr. a. 11: in Academia non solum artium honestarū, sed etiam purae de DEO doctri-
na conservatrice. mea vero, quia qui nuper hinc isthuc profecti sunt, iuve-
Nr. 177] nes mihi apprime chari, Lucius et Bokelmannus, eos confido confirmatū iri
tua consuetudine et exemplo, quamlibet sua sponte, quod se dignū est moliatur.
Intelligent enim illi et tu quoque, etiam Witebergā habere sua pericula, quae
nisi prudenter caveantur parum profuerit in ista doctissimorū hominū cele-
britate multas Jovis glandes comedisse. De doctrina periculis nō loquor
nam scitis illic D. Philippi libros de doctrina Ecclesiae, et me legisse
semper studiose et meis familiaribus diligenter legendos commendasse.
De morbis mihi sermo est. de scopulis inertiae, voluptatū, luxuriae, libidi-
num, arrogantiae, compotationū, et si quid est pestiū similiū. quae fere lau-
tissima ingenia alliciunt. hic magni refert (ut arbitror) vos coniunctis animus
quasi uno iugo ad optima quaeque contendere, et mutua exhortatione et ae-
qualibus exemplis in isto tam praeclaro literarū et innocentiae cursu promove-
ri: praesertim quū in Academijs (ubi magna est libertas, ne dicā licentia)
nihil sit solennius quam eorū naufragia qui in scholis anterioribus bonam
de se spem ostenderant virtutis futurae. Credite, rem arduā aggressi estis
qui bene ominantibus propinquis, beneque precantibus amicis, ad tam illustre
gymnasium profecti, omnium civiū vestrorū animos ad laudabilis cursus spem
minimeque vulgaris doctrinae expectationem provocastis. Quamobrem ἄγε
σὺ ἔσσε φίλοι [illegible] δὲ [illegible] ἄεθλος. De meo discessu nihil
adhuc certi habeo, nam quamvis alio vocatus sum. tamen pergo apte manere lo-
co possum, non solum pusilli sed prorse nullius animi homo. Quocunque aute-
m transferam, mea mecum suspiria: mea mecū grumnae commigrabunt. Tu fac
ut nostrarū rerū securus hoc unum agas: ut istud singulare DEI beneficiū
(nempe quod in ista aetate Philippi Melanthonis verrima integerrimaque
doctrina tibi datum est prolixe frui) tam reverenter habeas, ita parce dispe-
ses: tam circumspecte colloces, tam grato animo prosequaris, et multo te ipso
tum doctior, tum sanctior, quotidie evadens, olim et patriae huic usui, et a-
micis ornamento esse possis. Vale. Salutem ex me precare Wachmanno, Lu-
cio. Bokelmanno, Rumero: alijsque studiosis adolescentibus, quorū vitā et stu-
dia Filio DEI Servatori nostro diligenter et ex animo commendo. Bremae pos-
tridie Cal. July. 1.5.4.9. Vos amans

Johannes Molanus.

Nr. 39) D. Gerardo Mercatori Duysburgi.

Pax Christi

Quom in meis angustijs quod ipsa cogebat necessitas, tam serio tamque anxie
nuper ad te amicū veterem, et ad collegas tuos scripsissem vir humanissime doct-
[= Manuscr. a. 11, Nr. 178]

mihi non